

## CONCIO V.

## EXERCITIA PIA PER QUADRAGESIMAM INSTITUENDA.

- I. Jejunii exercitium. — II. Orationis exercitium. — III. Exercitum conversionis. — IV. Verbi Dei frequens usus. — V. Memoria passionis Christi. — VI. Indulgentiarum lucrardarum exercitium.

## THEMA.

*Duxit illos in montem excelsum seorsum, et transfiguratus est ante eos.* Matth. XVII.

Contigit fere in nundinis, ut histriones et circumforanei, et qui vilibus mercibus venant pecunias, primi sint ad forum: mercatores autem celebres, qui pretiosas afferunt merces, seius adveniant, confisi nimirum mercium suorum bonitati et valori. Idem mihi videre video in spiritualibus hisce quadragesimae nundinis. Primus ad eas Satan venit, uti ante octo dies videmus, merces suas explicans, quæ tamen ipsius non erant, omnia regna mundi et gloriam eorum ostendens: venit tamquam circulator et impostor ollam sortilegam, vere ollam mortis proponens, ut homines per hos sacros dies spirituali fructu spoliet. Hodie videmus adventare meliorem mercatorem, Christum Dominum, merces suas, gloriam scilicet regni sui explicantem, ollam, inquam, spei nostræ, unde merces utilissimas per hanc quadragesimam extrahere possimus. Quid vero ea nobis exhibeat, nunc videndum.

I. Exhibet Moysen et Eliam, et in his rationem jejunandi, per quadranginta nimirum dies, adeoque per totam quadragesimam. Sic enim jejunarunt Moyses et Elias, quemadmodum et Christus; Moyses quando in monte Sinai cum Deo loquens acceptabat legem, Exod. XXXIV. Elias, quando Jezabelem fugiens pergebat ad montem Horeb, qui idem est cum monte Sinai, III. Reg. XIX. Sacer ergo est hic jejunii numerus, a Christo supremo legislatore, Moyse ejusdem promulgatore, Elia zelatore sanctificatus; jure proinde a Christianis observandus: illo etiam ex capite, quia est decima pars anni, superadditis quatuor diebus: non videtur autem justum, ut decimas frugum demus Dei servis, decimas vero temporis negenus ipsi Deo. Nam etiam animalia, quæ totidem diebus dicuntur jejunare, uti ursa per quadranginta dies non nisi linctu pedis vivens, teste Aristot. lib. VI. animal. cap. XXX. et lib. VIII. cap. XVII. in remedium morbi intestinorum. Similiter et serpens, cuius prudenter commendat nobis Dominus in evangelio, quando senuit, ut antiquam pellem exuat, dici-

tur prius jejunare per quadranginta dies, sive media laxatam pellem per angustum foramen sibi detrahere, ut dixi ex S. Hieronymo, epist. ad Presidium et Cyriulum, dominica prima quadragesimæ, conc. VII. Quis autem morbus noster intestinus, nisi vilia animi; quid pellis nostra antiqua, nisi vetus homo carnali concupiscentiae deditus? Hunc curare morbum, hanc exuere pellem in quadragesima oportet, uti monet Sanctus Chrysostomus, homil. LXXIII. ad populum, quæ alioquin: « Non modo nil prodesset, sed majoris occasio damnationis fieret nobis, cum tantum invenientes sollicitudinis iidem permaneamus, nec iraeundus mitis efficiatur, nec animosus mutetur in mansuetum, nec in benignitatem invidus se reducat, neque pecuniarum captus insania a vitio desistens, ad misericordiam et pauperum se transferat sustentationem, nec impudicus continens evadat, etc. » Merito sane haec Chrysostomus. Quis enim e balneo non exiit mundior? quis e scholis non doctor? At qui tempus quadragesimæ balneum est pœnitentiæ, schola discipline. Celebramus in quadragesima die 9. martii festum quadranginta martyrum, qui Licinio imp. ad Sebasten. Armeniæ urbem, hiemali ac frigidissimo tempore nudi sub dio pernoctare jussi, sic orabant: *Quadranginta in stadium ingressi sumus, quadranginta itidem, Domine, coronis donemur, ne una quidem huic numero desit. Est in honore hic numerus, quem tu quadranginta dierum jejunio decorasti, per quem divina lex ingressa est in orbem terrarum. Elias quadranginta dierum jejunio Deum quærens, ejus visionem consecutus est.* Hanc orationem Deus audit: cum enim unus ex eorum numero defecisset, in vicinum tepefactum balnem desiliit, ejus loco aliud quemdam, janitorem ethnicum, qui sub noctem vidit triginta novem coronaæ de celo eis submitti, substituens, ut referat breviar. et S. Basilius, homil. in quadranginta martyres. Non dubium quin eos, qui per quadranginta dies jejunant, maneat corona sua. Si enim Moyses post quadranginta dierum jejunium splendidam acquisivit faciem: si Elias Dei visionem et colloquium meruit: si Christo Domino eodem jejunii tempore exacto angeli administrarunt; eum non similem mercedem et alii expectent? Quare impleamus queso hunc quadranginta dierum numerum in jejunio: ne unius quidem dies desit huic sacro numero, ne desit corona.

II. Tres Christi discipulos, Petrum, Joannem et Jacobum, transfigurationis spectatores; et per hos rationem orandi. Cum enim teste Luca, cap. IX. Christus in monte Thabor inter orandum transfiguratus sit, non dubium, quin hi quoque

discipuli cum magistro suo orarint. Porro, quadragesima tempus est accommodum et destinatum orationi. Nunc enim Ecclesia preces auget, et profanas sæculi laetitas inhibet, et passionis Dominicæ arma proponit. Igitur ut bona et efficax sit oratio, tres istos comites Christianus assumat, quos et Christus ad orationem suam in hortum Oliveti assumpsit.

Primo, Joannem, discipulum Christi dilectum, qui et *gratia* vel *gratosus* exponitur, ut orans sit Dei amicus, adeoque in Dei gratia. Quid enim prodest opem voce implorare, si manum retrahas ab auxiliatore. Quod Ambrosiaster, cap. IV. Apoc. hac similitudine declarat: « Homo quidam usque ad collum defixus in limo tenebatur, cumque vidisset quemdam prætereuntem, extendens manum clamabat dicens: Miserere mei et extrahe me ab hoc luto. Cumque manum porrigeret, ut istum extraheret, iste manum quam extenderat, sub lutum demersit. Dumque cœbrius hoc faceret, iratus dixit: Cur petis ut eruaris, cum in tuo periculo persistere velis? Et quia interitum tuum diligis, posside quod elegisti. Similiter isti Deum deprecantur assidue, ut a vitiis eruantur, et tamen ista vita ita amplectuntur, ut ab eis nullo modo divelli possint. » Propterea Salomon, III. Reg. VIII. dixit: *Si quis cognoverit plagam cordis sui, et expunderit manus suas in domo hac, tu exaudies de celo et reprobaberis.* Debet ergo peccator si audiri velit, agnoscerre peccata sua, dimittere affectum erga illa, et cupere erui ab illis; alioquin verum est quod cœcus dixit: *Scimus quia peccatores Deus non audit.* Joan. IX.

Secundo, Petrum a petra sic appellatum, hoc est, fiduciam, qua est firma seu roborata fides, quam Christus in oratione vehementer requirit, uti Marci XI. *Omnia quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis, et evenient vobis.* Est enim haec fiducia quasi pecunia, qua emimus a Deo postulata, dum per illam extollimus et prædicamus Dei potentiam, bonitatem, fidelitatem, providentiam, liberalitatem. Haec est illa emptio Isa. LV. *Venite, emite absque argento, vinum et lac.* Hujus pecuniae quo plus Deo dederis, eo plus gratiarum in oratione accipies.

Tertio, Jacobum, qui calcaneus et planta pedis exponitur, membrum infimum est, significat ergo perseverantiam in oratione, quam etiam Christus magnopere requirit: *Petite et accipietis, quærit et invenietis, pulsate et aperietur vobis,* Luc. XI. De quo et Ecclesiastes, cap. VII. *Melior est finis orationis, quam principium.* Nam: *Quomodo certaminis bavum non assequitur,* inquit S. Laurentius Justinianus, in Lig. vit. cap. IX. *qui antea*

*quam ad metas attingat, deficit: sic orationis fructu privat, quisquis in illa non extiterit importunus.* Imitandus Jacob patriarcha luctans cum angelo usque mane, cui cum diceret ille: *Dimitte me, aurora est,* respondit Jacob: *Non dimittam te nisi benedixeris mihi.* Et benedixit ei in eodem loco, Genes. XXXII. Pari modo si orantes constanter cum Deo luctemur, nec dimittamus eum, donec benedictus nobis, audemur ad extremum sine dubio.

III. Christum; et primo, vestimenta Christi alba instar nivis. Haec induenda quadragesima mediante poenitentia ac confessione, quæ est artificium quasi fullonis, maculas tergentis, et nitorem pene innocentiae peccatori restituens. Requirit autem Deus dealbationem animæ, quæ sit instar nivis, ut videre est Isa. I. *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbantur; et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt:* et Psal. LXV. *Nixe dealbabuntur in Selmon,* hoc est, in Ecclesia, monte scilicet, pingui et coagulato: et Psal. L. David de se peccatore loquens: *Lavabis me et super nivem dealbabor.* Ratio est, quia sunt res quædam albæ foris tantum, non intus, uti *sepulcrum dealbata,* qualia erant conscientiae Pharisæorum, Matth. XXXII. et *paries dealbatis,* quale appellat Paulus Ananiam principem sacerdotum, Actor. XXIII. At vero nix et lana alba, extra et intime carent. Jam vero quia peccatum non solum a Deo, sed etiam ad creaturam convertit, et ad amorem ejus inclinat, (quæ inclinatio difficile eraditur) fit sœpnumero ut confitens discedat ex confessione velut *paries dealbatus,* crusta solum candoris obducta, aut velut *sepulcrum dealbatum,* intus plenum ossibus mortuorum; dum adhuc peccata placent, nec animus est ea prorsus deserendi, peccandi occasions fugiendi aut removendi. His dici posset id, quod Paulus Ananias dixit: *Percutiet te Deus, paries dealbate.* Ut enim Deus cyenum, qui pennas quidem candidas, carnem tamen habet nigrum, pro immundo declaravit, Levit. XI. sic reprobabit etiam tales poenitentes factos.

Secundo, faciem ejus resplendentem instar solis. Haec quoque in quadragesima nobis si non induenda, saltem imitanda est, quando ad sacram communionem pergitus. Non enim tanti sacramenti dignitati satis est vestimentum conscientiae candidum et immaculatum; alioquin enim ut infantes admitterentur ac stulti: sed requiritur insuper facies instar solis rutilans, varios virtutum radios, præcipue amoris Dei, ex se emitentes. Nonne enim sponsa ad sponsum adduenda, ipsi se adornat, et pro viribus assimilat?

Certe S. Chrysostomus, homil. LX. ad populum ait: « Quid solari radio non oportet esse splendidiorem manum, carnem hanc dividentem? Os quod igne spirituali repletur? » Et in orat. de 3. Philogonio: « An nescitis quod haec mensa plena est igne spirituali? Et quemadmodum fontes aquae vim exundant, ita haec flammarum quamdam habet arcanam. Neque igitur accesseris stipulam adferens, non ligna, non fenum, ne augeas incendium, exuratque animam ad communionem accendentem: sed accede ferens lapides pretiosos, aurum, argentum, quo puriorum reddas materiam, multoque cum lucro discedens: » et mox: « Regem enim excepturus es per communionem; cum autem rex ingreditur animam, oportet magnam esse tranquillitatem, multumque silentium, profundum cogitationum quietem. » Cogita jam quid faceres, si quis rex in domum tuam veniret. Fac hoc saltem et eccl. Regi. Quod si olim manna servabatur in urna aurea, teste apostolo ad Hebreos IX. multo magis decet, ut manna nostrum cœlestis Deus ipse, in aurea suscipiat anima.

IV. Deum Patrem in voce coelesti: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Quæ vox dirigit nos ad audiendum Dei verbum cuius occasio passim obvia et commodissima est in quadragesima. Nullo modo enim cogitandum est, solis illi tribus discipulis mandatum esse ut audirent Christum, sed per eos toti mundo. Quisquis igitur Dei verbum audire contemnit, Deum Patrem ejusque Filium contemnit, ipsumque ultorem sentiet; quemadmodum et Moysi, ac per eum populo Hebreorum praedixit Deus, Deut. XVIII. *Prophetam suscitabo de medio fratrum suorum similem tui, etc.* Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultior existam. Quæ ultima verba sic declarat S. Petrus, Act. III. *Exterminabitur de plebe, seu interneccione celebitur* (ut habetur Graece) utique e libro vite. Cujus rei etiam figuram præmisit Exod. XIII. quando primogenita pecorum sibi afferri præcepit, solum asinæ primogenitum respuit, idque jubet ove redimi: *Primo genitum asini redimes ove. Quod si non redemeris, interficies.* Et cur hoc? Asini sunt, qui de rebus ad salutem necessariis nihil sciunt, neque scire aliquid cupiunt. *Numquid asinis dabo regnum meum?* ait in persona Christi S. Bern. serm. de dilig. Deo. Hos ergo Deus vult redimi et commutari cum ove, et nimirum ex stupidis asinis et idiotis fiant oves Christi, de quibus ipse dixit: *Oves meæ vocem neam audiunt,* Joan. X. Quod si hanc redemptionem facere, ex asino oves fieri, et audire vocem Christi quis noluerit, interficie-

tur et exterminabitur ex albo electorum: (quorum typus sunt primitia fructuum et pecorum) quod alibi claris verbis minatur eis Christus: *Qui vos spernit, me spernit: et: Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis, etc.*

V. Colloquium Christi cum Moyse et Elia, quod erat de excessu, hoc est, de passione et morte Christi. Decet etiam Christianos, si unquam alias certe per quadragesimam subinde conversari, loqui aut meditari de passione Domini, ne tam immensum beneficium e memoria nostra unquam deleatur. Scimus quid mandarit Deus Iose, quando per Jordanem siccato alveo traduxit populum in terram promissionis, Josue IV. Jussit enim duodecim lapides e Jordanis medio tolli, et humeris totidem principum portari usque in Galgala (significat rotam seu revolutionem) quasi deberet ejus beneficii perpetua ibi revolutio fieri in Hebreorum memoria, ibique ad perpetuum beneficium monumentum erigi; ut cum posteri interrogarent, quid sibi vellent lapides illi, responderent seniores: *Per arenem fluvium transiit Israel Jordanem istum, siccante Domino Deo vestro aquas ejus in conspectu vestro, donec transieritis.* Terrenum hoc fuit beneficium, quia in terram dumtaxat, quamvis optimam, induxit. Passio Christi, que velut area fœderis divisit Jordanem judicij divini: (*Jordan enim exponitur fluvius judicii*) et traduxit nos in patriam cœlestem, cœleste est beneficium; quod magno sane constitut Christo, cum ipse molem aquarum, hoc est, debitaram nobis pœnarum sustinere debuit, ne in nos devolveretur. Hoc ergo ut semper meminerimus, subinde saltem de eo loqui cum aliis seu nobiscum decet, ac dicere perpetua quadam revolutione: *Quid sibi voluntaria passionis Christi passim erecta? Quid columnæ tot in viis publicis? Quid in templis cruce, quid altaria, quid hore diurnæ? Quid habitus sacrificantium? Quid velata nunc altaria? Quid aliae cœremonie in hebdomada sacra? Monumenta sunt charitatis et passionis, qua Christus nos redemit.* Notandum etiam, quod non solum in terra, scilicet in Galgalis, sed etiam in ipso Jordanis alveo, per quem transierunt filii Israel, erigi similiter Deus duodecim lapides voluit, quo nimirum Hebrei ubicumque essent, sive in terra sive in aqua, ejus beneficii unquam obliviscerentur. Quid igitur nos, putatis, facere oportet?

VI. Nubem lucidam obumbrantem Christi discipulos, S. Joannes Damascenus, orat. de transfigurat. et ex eo Toletus existimat, nubem hanc adductam, ut fulgorem faciei Christi oculos discipulorum perstringentem, umbra sua inter-

jecta temperaret. Bene igitur nubes haec representat nobis blandissimum indulgentiarum umbraculum, quo protegi in morte a justitiæ sole possumus, ne in altero sæculo graves aliquando hære poenas cogamur. Solis certe illius adventantis speciem describens Joannes, Apoc. I. ait: *Et facies ejus sicut sol lucet in virtute sua;* quasi dieat: Cum sol maxime fervet et urit, quia veniet tamquam severissimus iudex, nihil peccati impune relicturus, quid tunc exoptare possumus, nisi nubem aliquam nos protegentem a rigore illo? Tunc enim multi: *Dicent montibus et petris: Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni,* Apocal. VI. Sed quid si sero nimis et frustra? Quod si umbraculum desideramus pro illo tempore, lucremur indulgentias; haec enim delect penas peccatis nostris debitas. Hebreorum castra obumbrabat nubes, Sap. XIX. seu columna nubis, quæ nos modo solis aestum temperabat per diem, sed etiam eos defendit a Pharaone insecente, Exod. XIV. sic protegent nos indulgentiae in horæ mortis nostræ. Haec nunc potissimum quasi in foro venales prostant singulis diebus, qui totidem stationes et indulgentiarum luera levissimo prelio comparanda proponunt per totam

quadragesimam. Nimirum quemadmodum in fine nundinarum merces viliori pretio emuntur, quia mercatores videntur jam saturati mercibus et nummis exhausti: ita nunc fit, ut indulgentia crebrius dentur, et leviore labore comparentur. Saturi videmur, et meritis propriis parum divites sumus, ad labordum vero languidi. Ut ergo languidus ille ad piscinam, quia propriis viribus non poterat se mergere in piscinam, egebat alienis: sic et nos in hoc mundi fine, quia admodum debiles ad bene operandum sumus, indigemus meritis alienis, quibus abluamur a pœnarum reatu.

Quare cum videamus tantum et tot bonorum thesaurum hac quadragesima nobis propositum, non patiamur nobis elabi tam præclaram hueri occasionem: *Veniet dies inquit Dominus, Luc. XVIII. quando desideretis videre unum diem Filii hominis, et non videbitis.* Quæ est ista dies Filii hominis nisi dies, qua remissionem et indulgentiam peccatorum, atque gratiam Dei mercari licet? Cogitate virginis fatuas, quæ sero nimis iverunt emere oleum et exclusa sunt, et date operam, quantam potestis maximam, ne in illarum numero vos aliquando reprehendatis.